Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rei rvsticae libri qvatvor

Heresbach, Conrad

[Spira Nemetum?, 1603

Febrvario

urn:nbn:de:bsz:31-138693

Visual Library

FEBRVARIO.

Etiam hoc menſe antelucanis lucubrationibus trituratur, aliáque neceſſaria expediuntur.

Nuces iuglandes, amygdalas, & glandiferas plantas hoc menſe quoque tempeſtiuum ſerere.

Seminaria pomorum, aliarumque plantarum facienda: maturæ plantæ de ſeminariis in ſcrobes transferendæ. Colum.

Salices fraxinos, priusquam frondeant, plantaſque vlmorum, nunc ponere, vtile eſt.

Quernæ plantæ nouellæ transferuntur commodè terra quam latiſsimè foſſa.

Lupulo ſalictario plantando terra paſtinatur, ac ſtercoratur. Vide de Lupulo lib. 2.

Perticales ſalices, ſi per gelu & tempeſtates licet, ponantur, luna creſcente.

Putantur vites, & ſalices, luna creſcente, ſpirantibus Zephyris, aut Noto; vitandus Boreas.

Materiam etiam hoc menſe cædere licet, luna deficiente, vel in coitu exiſtente.

Columbaria expurgantur, nidi crateſque ſarciuntur, ne vacillent, néue oua excidant.

Iam

Iam enim columbæ incipiunt parere.

Oua excludendis pullis, ſupponuntur gallinis, anſeribus, anatibus, pauonibus, aliiſque auibus.

VII. Calend. Martij hirundinis aduentus.

Piſcantur aliqui ſi locus & cœlũ patiatur.

Septentrionalibus locis terra colitur, ſiligini æſtiuæ ſerendæ.

Prata, vel fœno producendo, vel paſcuis deſtinata iam à pecore vindicanda, curandáque vel elicibus, ſulciſque aquariis, vel ſi macra ſint prata, ſparſo lætamine ſaturanda. Pallad.

Agri vliginoſi proſcinduntur.

Hortos incipiunt paſtinare ac præparare.

Seruntur pleriſque locis hortenſia, pro cœli locorumque ratione.